

König Karl schenkt dem Kloster Hersfeld den Zehnten in Aplast und Molinhuso.

Carolus gratia dei rex Franc. et Langobard. Quicquid enim locis venerabilibus ab amore domini et oportunitate servorum dei benivola deliberatione concedimus, hoc nobis ad aeternam beatitudinem vel remedium animae nostrae pertinere confidimus. Qua propter notum sit omnium fidelium nostrorum magnitudini qualiter donamus ad monasterium Haerulfisfelt, ubi Lullo ep. abba praeesse videtur quod est in honore beatorum apostolorum Simonis et Tatheï super fluvium Fulda in vaste Boehonia constructum, hoc est illa decima de terra et prata ex fisco nostro cuius vocabulum est Aplast in pago Toringia quantumcunquae ad praedicto fisco nostro pertinet sicut diximus illa decima de terra et prata sive aquis ad iam dicto sancto loco tradimus. Similiter et in alio loco, ubi Franci homines conmanent, cuius vocabulum est Molinhuso, quantum in ipsa villa nostra videtur esse possessio, illa decima de terra et silva vel prata sive aquis ad praedicto sancto loco tradidimus perpetualiter ad possidendum. Propterea hanc praeceptionem auctoritatis nostrae conscribere iussimus ut ab hac die tam memoratus Lullo episcopus quamque sui successores qui fuerint rectores eiusdem sancti loci ipsa decima de terra, silva et prata vel aquis de suprascriptas curtes ad opus iam dictae ecclesiae habeant, teneant atque possideant et quicquid exinde ad profectum eiusdem sancti loci facere elegerint, liberum perfruantur arbitrium. Et nullus quislibet de fidelibus nostris aut de iudiciaria potestate vel qualibet persona praedicto (episcopo) de iam dicta decima inquietare aut contra rationis ordine vel calomniam generare quoque tempore praesumat. Sed hoc nostrae auctoritatis atque confirmationis donum iure valeant posside(re) firmissimum quatenus melius delectet (ipsos) servos dei qui ibi deo deservire videntur pro nobis, etiam uxore et prolis nostris vel procerum nostrorum stabilitatem domini misericordia ad(tentius) exorare. Et ut haec auctoritas firmior sit, manus nostrae subscriptionibus subter eam decrevimus roborare vel de anulo nostro iussimus siggillare.

Signum (*Monogr.*) Caroli gloriosissimi regis.

Uigbaldus ad vicem Hitherii
recognovi et (*Recogn.*).

Data octavo Kalendas Novembris anno octavo et secundo regni nostri. Actum Duria palatio publico in dei nomine feliciter. —